

Dissertatio medica inauguralis de singultu ... / praeside ... Christiano Stephano Scheffelio ... anno M. DCC. XXX d. XI. Dec. publico eruditorum examini submittit auctor Joh. Georg. Wilh. Cavan.

Contributors

Scheffel, Christian Stephan, 1693-1763.
Cavan, Johann Georg Wilhelm, 1699-

Publication/Creation

Gryphiswaldiae : Typis haeredum B. Starckii, [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/npkyqfbj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2133
2

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
SINGULTU,

QVAM
CONSENSU GRATIOSISS. FACULTATIS MEDICÆ
IN REGIA GRYPHISWALDENSIUM ACADEMIA,
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
ATQVE EXPERIENTISSIMO,

DN. CHRISTIANO STEPHANO
SCHEFFELIO,

MED. DOCT. ET PROF. REGIO ORDINARIO,
FACULT. MED. DECANO,

ET H. A.

ACADEMIÆ RECTORE,

PATRONO SUO ATQUE PROMOTORE

MAXIME OBSERVANDO.

PRO

SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RITE CAPESSENDIS.

ANNO M. DCC. XXX. d. XI. DEC.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

JOH. GEORG. WILH. CAVAN.

GRYPHISWALDIÆ,

Typis hæredum B. STARKII, Reg. Acad. Typogr.

INSTITUTION MEDICAL UNIVERSITY

STINGULU

CONSTITUTIONAL FACULTY MEDICAL
INSTITUTION

CHURCHMAN, AMERICAN MEDICAL
INSTITUTION

DR. CHRISTIAN STEPHANO SCHEFFEL

M.D. DOCT. IN MED. REGIO ORDINARIO,
FACULT. MED. DECANO,

ACADEMIE RECTOR,
PATRONUS ATORE PROMOTORE
MAGNUS ORFABAND.

GRADUAT IN MED. ADOCT. HONORARIUS, INGENIUS
AT RECTORIS DOCTORALIS RECTORIS
TUMUS RECTORIS EXAMINI SUBMITTIT

JOHN GEORGE WILKINSON

GRADUAT IN MED. ADOCT. HONORARIUS, INGENIUS
AT RECTORIS DOCTORALIS RECTORIS
TUMUS RECTORIS EXAMINI SUBMITTIT

Q. D. B. V.

Differtatio Medica Inauguralis

De Singultu.

§. I.



DE singultu brevem instituturi tractationem, ante omnia, neglecta definitione ejus nominali, utpote in vulgus nota, definitionem realem præmittendam esse censemus. *Est vero singultus motus convulsivus diaphragmatis, quo per intervalla sonitus emittitur, inspiratioque acceleratur, ut plurimum a ventriculo ejusque superioris orificii vellicatione ortus.*

§. II.

Dividi solet, & quidem recte, in *Idiopathicum*, qui a vitio stomachi oritur, & in *Symptomaticum*, qui ab alia causa magis remota, suam trahit originem, aliisque morbis supervenit. Cui & *periodicum* addere possumus, qui certas horas observat, certoque anni tempore recurrit, quam maxime hypochondriacis infestus, & quibus sanguis per viscera abdominis tardius omnino commovetur, perque menses hæmorrhoidesque minus rite exoneratur: qualem & *Lentilius in latromp.* observavit in cachectico, tamdiu durantem, donec vomitus materiæ pituitosæ sequeretur, pag. 286.

§. III.

Subjectum singultus est diaphragma, non tantum a ventriculo ceterisque abdominis visceribus, sed & a

reliquarum Corporis humani regionum partibus exstimulatum. Constat nimirum ex anatomicis, tam arctam diaphragmati cum ventriculo aliisque abdominis visceribus, imprimis per nervum intercostalem atque vagum intercedere conjunctionem, ut vix concipi possit, quomodo altero læso, alterum ex illis illæsum manere queat? præterea v. inter diaphragma, thoracem, ipsumque cerebrum, per nervum diaphragmaticum, intercostalem ac vagum, intimum foveri commercium, ex anatomicis principiis luce meridiana clarius est.

§. IV.

Signa diagnostica singultus multis indagare velle, est superfluum, siquidem is pertinet ad illa quæ celari nequeunt. Interim ut aliquid de illis dixisse videamur, annotandum utique, præcedere huic quandam orificii ventriculi superioris pressionem præcordiorumque angustiam: illam vero insequi motum diaphragmatis huncce constrictorium, cum thoracis dilatatione, inspirationisque acceleratione conjunctum: unde aer magnavi, nec sine strepitu sonituque in pulmones impellitur. Adsunt subinde & ructus nidorosi, acidi, insipidi, vomitus varii generis, sapor putridus, amaricans, sitis, anorexia. Quod si v. durat aliquando per. 2. 3. 8. 10. 20. 40. dies, supervenit etiam debilitas virium, agrypnia aliaque symptomata.

§. V.

De causis singultus ut mentem nostram breviter exponamus, ordo jam poscit. Sunt autem eæ imprimis vel nonnaturales, vel præternaturales. Quod ad nonnaturales, inter eas eminent, *aër, cibus atque potus.* Quod

Quod ad *aërem*, inimicus præcipue est frigidior, tum per inspirationem ad pulmones adactus, tum pectus aliasque partes, non satis a frigore munitas afficiens, porosque corporis occludens. Unde sæpissime singultum non tantum in iis excitari observamus, qui pro more hodierno ventriculi regionem, elegantiae gratia, vel solo indusio operiunt, sed etiam qui caput pedesque nudos, aëri frigidiori exponunt. Qvale & infantulis obtingit, nisi, in eodem aëre circumgesti, verticem thoracisque regionem, ac pedes probe tectos habeant. Sequitur *cibus & potus* tanquam singultus causa considerandus. Observamus autem primo loco, ventriculum nimia esculentorum, potulentorumque, præsertim velocius, & sine prævia fere masticatione deglutitorum copia prægravatum, singultui viam sternere. Ejus quippe actio, utpote plane mechanica, ejusmodi mole assumptorum ita obruitur, ut officio suo, conqvassandi nimirum, tritrandi, conterendi atque concoqvendi cibos, defungi amplius nequeat. Præterea nec liquor subalsus gastricus, fermentativus sufficit, qui tantæ farragini se insinuare, atque fermentationem, solutionem, particularumque inter se unionem efficere, sicque chylicationem in ore inceptam, in intestinis vero plane perficiendam, ulterius præmovere possit. Cum v. ventriculus cum diaphragmate, tum modo supra §. 3. citato, tum ob oesophagi per latus hujus sinistrum transitum, firmissime cohæreat, non potest non a ventriculo, mole ista ciborum laborante, eamque ægre ferente, & ad singultuosam illam contractionem irritari. Quo debilior vero est ventriculus, eo frequentior singultus. Unde videmus, infantes ex ἀδδηφαια sæpissime singultu

gultu vexari. Vid. inter alia THEOD. ZWINGER. *Pædoj. trejam præct. p. 353. obs. 92.*

§ VI.

Nec tantum cibus & potus in nimia quantitate ingurgitatus, sed & qualitate peccans ad idem malum disponit: e. g. cibi pingviores, visceri, flatulenti, acriores, acidi, austeri, fructus immaturi, liquores non fermentati, spirituosiores fortiores, aliiq; & actu & potentia justo frigidores, quo & spectant julepi in febribus ardentibus nimis copiose adhibiti; Unde irritato ventriculi orificio sinistro, & diaphragma ad motum illum irregularem concitatur. Hisce & annumerari possunt emetica drastringa varia, purgantia fortiora, mercurialia vehementiora assumpta: Venena quoq; sive interne propinata, sive externe, a morfu vel ictu bestiarum communicata. Illa enim particulis suis acrioribus & corrosivis, irritando, vellicando, stimulando, homines in hypercatharsin, singultum atq; extremum vitæ deducunt periculum. Hæc autem, ob naturam corrodentem, dissolventem causticam, machinam hominis penitus destruunt, atq; perpetuum singultum ad mortem usq; excitant.

§ VII.

E contrario & ex inedia singultus proficisci potest, quatenus scil. non tantum reliquæ ciborum in ventriculo contentæ, sed & ipsa massa sanguinea, ob olea saliaq; a perpetuo attritu extricata, fit acrior: unde irritatis nervis ventriculi diaphragmatisq; motibus harum partium convulsivis facillime ansa dari potest.

§ VIII.

Præter allegatas singultus causas & aliæ recensendæ veniunt

veniunt, præternaturales dictæ, vario modo diaphragma ad vibrationes istiusmodi singultuosas concitantes : Hic occurrit primo *Sanguinis nimia copia*, quæ, cum per consveta loca evacuari ex corpore non potest, versus diaphragma inter alia regurgitat, ejusque vasa sangvifera distendendo, ipsos tandem nervos diaphragmatis ad contractionem illam irritat. Hinc gravidæ ultimis gestationis mensibus singultu corripuntur. Hinc iis, quibus sanguinis menstrui, hæmorrhoidumq; fluxus est obstructus, idem illud evenit. *conf. §. 2. hujus diff.* Hinc denique non infrequens est, circa tempus instantium mensium, a plethora menstrua tum collecta, singultum accidere, quale exemplum SCHURIGIUS in *Parthenologia* p. 213. recenset : qui menstruo fluxu prorumpente sponte iterum cessat.

Succedit *sanguinis inopia*, unde vasis nimium ab hæmorrhagia enormiori inanitis, singultus etiam imminere solet.

Sequitur *Sanguis hinc inde stagnans, hincque ob febrim accedentem nimio motu peccans subindeque ad alcalescentiam pronus* ; qualis observatur in febribus inflammatoriis malignisque, in quibus, circa statum præcipue morbi, ex superveniente inflammatione ventriculi diaphragmatisve singultus aliquando supervenit.

Hiscæ vitiis accensendus *sanguis serumque justo acrius*, præcipue si a provida quidem natura ad peripheriam corporis propulsum, ab imperitis tamen medicastis, aliisque de causis, ad centrum quasi corporis repellatur. Hinc a podagra, externis refrigerantibus, adstringentibus, obturantibus, narcoticis repressa, diarrhœa, dysen-

dysenteria, vomitu, cholera, scabie, præpostere sopita, singultum, eumq; sæpe funestum, observatum legimus.

A variarum præterea C. H. partium spasmi aliisque vitiis, labe, læsionibus, & diaphragmati motum inordinatum singultuosumque communicari, experientia magistra docet. Huc referas non tantum singultum, passioni hystericae familiarem, sed & binos illos casus, tum, ubi a frustulo carnis in asperam arteriam illapso, *de quo vid. TIMÆUS a GULDENKLEE*, tum ubi a pulmonis bubuli frustulo in oesophago restitante, *de quo vid. FOREST L. 18. obs. 12. Schol.* singultus excitatus fuerat.

Huc spectant porro Vermes, ac calculi, in variis corporis partibus præsentēs, singultus causæ, variarumq; deinde partium inflammationes.

Sic ab inflammatione hepatis singultum ortum fuisse, *FORESTUS Lib. XIX. obs. 8. Schol.* ab inflammatione renum, vesicæ urinariæ, atque pulmonum, *BONETUS Anat. Pract. P. I. p. 41. & 42. testatur*: quibus & inflammatio ventriculi intestinorumque, quo & passio iliaca referri potest, meningum, pleuræ, addenda venit. Quandoque & inflammatione jam in gangrænam versa accidit singultus, quod *FORESTUS de Pene, gangræna gallica affecto Lib. 26. Obs. 6. GOCKELIUS vero de gangræna brachii, GALLICIN. Med. Pract. p. 393. corroborat.*

Vulnera insuper variarum partium singultum excitare certissimum est. De quibus vel unicus conferatur *BONETUS l. c.* ubi hoc de singultu ex vulnere non tantum ventriculi, Oesophagi, pulmonis, intestini coli, sed etiam natis sinistrae demonstrat; Id quod etiam in vul-

ueri-

neribus capitis profundioribus ipsiusque diaphragma-
tis observatur. Ultimo loco & partes quædam solidæ
diaphragmati viciniore, vitiosam conformationem
adeptæ, inter causas singultus sunt recensendæ, ut si hic
vel cartilagini ensiformi depressæ, vel luxationi verte-
brarum natales debeat, qualia refert WED. *Exerc. semiot.*
p. 87. vela costarum ad ventriculum detorsione oriatur.
Vid. SCHENCK *obs. Medicinal. L. III. 9. p. 575.* Quæ omnes
causæ sagaciari *σοφασμῶ* ex errore diætæ, qui huic
morbo antecessit, ex symptomatibus concomitanti-
bus, ex temperamento ægri, ex nocentibus & juvanti-
bus, & denique ex propriis hujus vel illius morbi fon-
tibus indagari, feliciterque satis deprehendi possunt.

§. IX.

Causarum considerationem excipit Prognosis.
Sunt autem singultus idiopathici, præsertim in infantili
magisque adolescente ac vegeta ætate, non adeo refor-
midandi, ne medici quidem opem poscentes. Secus
ac in senili ac decrepita ætate, quippe quæ ægre fert
singultum. HIPPOCR. *Sect. VII. Aph. 41.* Quodsi vero ab
assumpto purgante vel veneno ortus fuerit singultus,
plerumque lethalis est: Quemadmodum id HIPPOCR. de
Helleboro affirmat. *Sect. V. aphor. 1.* Quo & referen-
dus *Sect. VII. Aph. 25.* ubi divinus senex dicit. *a pur-*
gantis potione convulsio, lethale. itemque *Sect. V. aph. 4.* *Pur-*
gationi immodica convulsio aut singultus superveniens, malum.
conf. & Sect. VII. Aph. 3.

§. X.

Singultus e contrario Symptomaticus semper fere
B monstri

monstri quid alit : & quidem eo periculosior est, quo magis actiones vitales imminuit cumque principalium viscerum consensu contingit. Hinc illa effata HIPPOCRATICA : *Ab hepatis inflammatione singultus, malum VII. 17. conf. & Act. HAFN. Vol. II. obs. 29. Ab Ileo vomitus aut singultus, aut convulsio, aut delirium, malum VII. 10. A sanguine multo effuso convulsio aut singultus superveniens, malum V. 3. conf. VII. 9.* Hinc etiam singultus ex nobiliorum partium vulneribus ut plurimum lethales pronunciantur, *conf. Sect. V. Aph. 2.* funestioresque habentur, qui fiunt ab inanitione, quam qui a repletionem contingunt. Inde & in febribus inflammatoriis & malignis terribilis singultus esse solet sonus, quippe qui facile in convulsiones, mortem post se trahentes, abit, ita ut EPIPHANIUS FERDINANDUS DEUM testetur, singultum, tanquam signum ad mortem in febribus malignis prædicendam, se nunquam fefellisse, *conf. RIVERIUS Operum p. m. 280.* Verum enim vero, hanc regulam non semper esse adeo certam, quin aliquando suam patiatur exceptionem, certissimum est. Vid. *Hist. Morb. WRATISLAV. 1700. p. 223. & HULD. PELARGI observ. Clinic. 1723. p. 157. &c.* Observandum enim est, tum, an in statu morbi una cum singultu, & alia signa periculosa adsint, ut desipientia atque difficultas respirandi? tum, an singultus ab affecto diaphragmate ortus fuerit? tunc namque de vita actum est. Vid. *Hist. morb. WRATISL. l. c. p. 224.* Illa Symptomata si absint, non statim omnis abjiciendus est animus: quippe & in statu morbi observatus sæpe fuit singultus criticus, critice vomitum vel alvi fluxum futurum præfagiens. Quod si autem malo declinante eveniat, sanitatem

tatem plane promittere solet. conf. *Prax.* STAHL. p. 796.
it. obs. Clinic. PELARGI. 1721. p. 246. Sicut vero in singultu febrium acutarum ad alia simul symptomata graviora esse respiciendum, diximus; ita eadem in reliquis morbis, quos singultus comitatur, neutiquam sunt negligenda, si de exitu singultus certior reddi cupis. Sic, si cum aphonía, cum delirio, cum stupore, cum oculorum rubore, adipsia, virium resolutione, sudoribus frigidis, extremorum frigore, conjunctus sit singultus, hunc tuto mortis fore nuncium pronunciabis.

§. XI.

Hisce itaq; præmissis jam libero pede ad Methodum medendi progredi possumus, pro causarum, singultum excitantium, varietate curam ejus proposituri, prætermisuri vero leviores causas, quas sine adhibito medico, per potum calidum, expirationem paulisper cohibitam, cogitationem de re adamata, terrorem, metum, promissionem, gaudium, iram, sternutationem, imo & per alapas institutam, ipsum etiam vulgus remove novit.

§. XII.

Quod itaque ad aërem frigidiores admissum, tanquam singultus causam, optimum est, eam partem, quæ frigori adeo fuit exposita, quomodocunque refovere. Sic si pedes passi fuerint, pediluvium ex aqua dulci variisque herbis aromaticis imprægnata, vel etiam

ex vino calido, frictiones, lotionesque cum spiritu vini calido, utique conveniunt. Qua de re evolendus SIM. PAULI in seinem anatomischen Bedencken p. 45. &c. Præterea vero ad poros per totum corpus recludendos, diaphoretica imo sudorifera, cum stomachicis mixta, omnem hic faciunt paginam.

§ XIII.

Quod vero ad cibum potumque nimia copia, & quasi ex ἀναγνοφάγία athletica, ingurgitatum, tanquam singultus causam, spectat; optimum est statim, si quidem conatus ad vomitum, nauseaque adsit, lenia offerre vomitoria, quippe, quæ ducere oportet, quo maxime vergant, eo sunt ducenda, per loca convenientia. HIPPOCR. Sect. I. Aph. 27. Inter emetica autem optima sunt rad. Ipecacuanhæ, Afari, tartarus emeticus &c. non quidem completa, sed dimidiata tantum dosi concedenda, cumque salis cujusdam mediis scrupulo uno maritanda: qua ratione æque bene officio suo satisfaciunt vomitoria, nos vero in exhibendis iis tutiores possumus esse ab ulteriore singultu, quem ægrotus facile incurrere posset graviores, si in emeticorum dosi nimia excederemus. Sin autem æger delicatulus vomitum abhorreat, vel sit debilis, vel corporis dispositio, v. g. Hernia & pulmonis aliquod oculorumque vitium, illum dissuadeat; juxta HIPPOCR. Sect. VII. Aph. 61. lene purgans huic substituendam erit, v. g. ex Rhabarb. Tamarind. foliis fenn. Manna, aloeticis, &c. Quo peracto roborantia non parum auxilii præbebunt. v. g. Tincturæ martiales, spiritus Lavend. Comp. Salia volat. oleosa, Ess. Ambraë &c. & quævis aromatica ac carminativa.

§ XIV.

§. XIV.

Quod si vero ab ingestis, non quidem quantitate, sed qualitate peccantibus, ortus fuerit singultus, quamvis & hic pro ratione circumstantiarum evacuantia dicta in usum vocari possint; satius tamen erit, corrigentibus variis morbum oppugnare. Sic si a cibis pingvioribus, rancidis, facileque putrescentibus, singultus ægrum vexet; conducunt salia, ut nitrum vitriolatum, tartarus vitriolatus, nitrum antimoniatum, sal Epsoniense vulgare, multaque alia, quæ in minori dosi humores biliosos præcipitant, in majori vero ab uncia dimidia ad drachmas sex cum sufficiente vehiculo aquæ cujusdam exhibita, putridas nidorosasque illorum ciborum reliquias per alvum expellunt. Porro eundem præstant effectum, non tantum acido-salia, ut tartarus crudus, cremor & Crystalli tartari, sed etiam acida acidulaque fere omnis generis.

§. XV.

Sic si ab ingestis ficcioribus, cibis fumo induratis, caseo, pane bis cocto &c. ortum singultus ducat; diluentibus, v. g. cerevisia secundaria, aquosis, quo & potus theæ pertinet, succurrendum. Qualis methodus & observanda, si viscidis flatulentisque cibis superveniat singultus. Addi tamen illis possunt varia attenuantia, amara, aromatica, roborantia, utrad. Acori, gentianæ rubræ, Hb. Meliss. Summit. Cent. min. cort. aurant. cinanom. innumeraque alia, ad varia infusa

theiformia inde paranda, idonea. Præterea & hic conveniunt acria, e. g. Rad. ari, indeqve pulvis Stomachalis BIRCKMANNI, five rad. ari compositus dictus, præparatus. Adhiberi & poterunt salia media, visciditatibus in ventriculo stabulantibus discerpendis, apprime convenientia.

§. XVII.

Si singultum peperit spirituosorum abusus; temperantia sunt optima, ut aqvosa, nitrata, absorbentiaqve varia quibus particulæ spirituosorum liquorum sulphureæ acidæqve optime cicurari possunt.

§. XVIII.

A potu frigido si excitatus fuerit; medicamentorum, ut veteres dixeret, calidorum exposcit usum, quo omnia acria, aromatica, amara, fermentata, salia vol. & præcipue oleis æthereis imbuta spectant, itemq; vinum, quod ideo a RIVERO in eo casu quam maxime laudatur, ubi ex abusu juleporum in febribus natus fuerit singultus. *in Operibus p. m. 436.*

§. XIX.

Ab assumtis deniq; acidis, austeris, acerbis ortus, antacida sola efflagitat: id enim humorum genus omnia vomitoria, purgantiaqve ridet ac adspernatur, ita ut hæc ab acido, quod, juxta intentionem medici, e corpore eliminare debebant, potius castrentur, suisq; viribus

viribus exuantur plenarie. Inter illa recensenda *primo* veniunt, quæ cum acido concurrentia in liqvo-rem falsum diureticum abeunt, qualia sunt, omnis generis lapidosa, & alcalia, præcipue fixa, tum & volatilia. *secundo*, quæ cum acido in liqvo-rem vitriolicum degenerant, ut omnis generis Martialia, acido nondum saturata. *tertio*, quæ cum acido in sal amarum laxans mutantur, quale est divinum illud medicamentum, magnesia scil. alba, potentissimum, si quid aliud, aciditatis omnis absorbens.

§. XIX.

Quod si ex culpa emeticorum, purgantiumque dra-strictorum, evenerit singultus; porrigenda, omnis generis lacticia, lac naturale atque artificiale, pingvia & oleosa expressa, mucilaginosas, involventia, & denique roborantia, ipsaque anodyna. *conf.* DEKERS *Exercit. pract.* p. 163. Si vero ex vomitorio antimoniali v. g. ex vitro antimonii, plicis ventriculi adhærente, acciderit: dentur aliquot cochlearia vini Rhenani, quo illud solvatur, subjunganturq; ventriculum roborantia. *conf.* DEKERS *Exercit. med. Pract.* l. c.

§. XX.

Si denique singultus veneno cuidam ortum debeat, inquirendum quale illud fuerit, ut hac ratione eo præsentius magisque appropriatum antidotum inveniri queat. Post assumptum enim venenum minerale, rodendo vim suam acidam causticamque exercens,

cens, v. g. Arsenicum, Mercur. sublimat., Aquam fortem &c. nihil magis conducit, quam copiosi lactis, butyri non saliti, olei crassioris, aquosorum aliorumque farinosorum, gelatinosorum, mucilaginosorumque, admistis antacidis, v. g. Crytallo montana, largior ac frequentior ad vomitum usque haustus. Vid. Magnifici Domini Presidis Diff. de noxis in C. H. ex abusu mercurialium redundantibus, horumque remediis, ubi tum §. 35. tum §. 42. pluribus hac de re egit. Eadem quoque temperantia, cum aliis medicamentis, cujuslibet veneni specialem crasin corrigentibus, remixta, in singultu a venenis aliis orto adhiberi possunt. Veneno autem, externe corpori per ictum morsumque bestiarum variarum communicato, frænum injiciendum externis scarificationibus, vulneris amplificatione, musica. Omnibus tamen reliquis remediis, præsertim post viperarum morsum, palmam præripit axungia, si statim inflicto vulnere infricetur, viperarum, mirandumque sane producit effectum. *conf. PETRI SCHAW. Libr. Anglic. idiomat. conscr. New Practice. of Physic. &c. Vol. I. p. 192.*

Solis autem externis remediis non erit inhærendum, sed ad interna potius, Theriacalia, Alexipharmaca, antispasmodica, temperantia, alterantia, diaphoretica, anodyna, simul erit confugiendum.

§. XXI.

A defectu ciborum si oritur singultus; cibus fame fatigatum recreandum esse, sapiens quisque judicabit, & quidem jusculis liqvidis, lacte, ptisana aliisque, quæ longa

longa digestionem non indigent, crebrius datis, *conf.* FOREST. L. 18. Obs. 12. Schol. Caveat autem medicus, ne peccet ciborum Excessu, ægerque evitando charyb-
dim in scyllam incidat. Ventriculus insuper per
aromatica aliaque remedia roborandus, viresque la-
befactatæ, secundum diæteticas regulas nutrientibus
revocandæ.

§. XXII.

Si a Plethora fit singultus; in genere convenit
V. S. quia de re egregium affert exemplum non tan-
tum SCHENCKIUS Lib. III. Obs. 50. sed & BORRICHIVS in
Actis Hassniensibus Vol. I. obs. 73. Præ ceteris vero in gra-
viditatis ultimis mensibus, suppressione menstrui flu-
xus hæmorrhoidumque successus venæ sectioni respon-
debit, si in pede fuerit instituta. Cui post pro ra-
tione morbi præcedentis alia addi poterunt.

§. IXXIII.

Si inflammationi cuidam feбриque inflammato-
riæ, ac malignæ, itemque feбри ardenti simplici su-
perveniat; itidem conducit V. S. adhibitis tamen simul
nitratis, diaphoreticis, antispasmodicis, cinnabarinis,
tincturis acidulis, Emuls. ex sem. frig. & papav. aqvo-
sis aliisque, quæ ab ipso morbo præsentem indicabun-
tur: absint vero ubique omni modo opiata, ut requies
NICOLAI, Philonium Perficum, similisque farinæ me-

dicamenta : Qvalia incassum inter alia adhibita fuisse in juvene bilioso, singultu, ex causo laborante, refert BONETUS in *Mercurio compitalitio* p. 613. qvi tamen postea solo nivis usu fuit edomitus.


Externe autem applicari regioni ventriculi poterit Spiritus Vini Camphoratus nec minus in partibus remotis vesicatoria.

§. XXIV.

Sic si a podagra retropulsa singultus incidat, sine mora ejus reditus in pedis articulos est tentanda : hinc statim applicentur femoribus vesicatoria, ac fomenta, fiat deambulatio : fumatur larga copia decocti cujusd. sudoriferi, vel vini rhenani generosi, frictiones pedum quoque instituantur, imo urticationes. Ad eandem fere normam ceteris paribus & singultus, a diarrhoea, dysenteria, vomitu, cholera, scabie sopitis, suppressisque ortus, curari potest : in diarrhoea, dysenteriaque, interposito Rhabarbaro clysteres emollientes, cum lacte paratos, injiciendo, in vomitu choleraque convenientia corrigentia, leniaque evacuantia exhibendo, in scabie vero expellentia, mercurialiaque propinando. Quibus denique & Cucurbitula est adjungenda, & vel cum, vel sine flamma ventri apponenda, quippe cujus incredibilem efficaciam, ad unum omnes fere auctores in omni ferme singultu, incassum etiam adhibitis opiatibus, extollunt.

§. XXV.

Hisce omnibus methodum medendi, singultui, hystericam passionem, vermes, calculum, passionem iliacam, vulnera, aliasque causas supra recensitas comitanti, opponendam; diæteticasque regulas addere possemus: Sed temporis angustia præclusi, hic finem dissertationi nostræ imponimus, Divino Numini, pro concessa huc usque in studiis nostris continuandis gratia, proque providentia ejus, quam per totum vitæ nostræ curriculum, plane singularem experti sumus, devotissimas agentes gratias, idemque, ut nobis ulterius benignitate sua paterna adesse velit, ardentissimis precibus orantes.



Hicce omnibus methodum tradendi, fingunt;
 hystericam passionem, ventres, calculum, passionem
 illam, vultus, etiamque istas lumbas et ceteras co-
 nstanti, et constanti; dicitur, etiamque vultus, et ceteras
 postest; et temporis angustia pectore, hic lumbis
 diffinitioni recte imponimus, Divino Numini, pro
 copect, hoc recte in studiis nostris continuandis et
 et, prope providenda eius, quam per totam vitam
 recte curiculum, plane regularem expectamus
 elevatissimas agnitiones, idcirco, ut nobis
 dicitur benigne, sua paternis adesse
 velle, ardentissimis precibus

etiamque



